




EPICEDIVM SIGISMVNDI III. POLONIÆ SVECIÆQVE REGIS.

AT non inuictos etiam populata profanis
Funeribus Manes, & neſcia cedere leto
Regna, vel infractæ decus inſuperabile mentis
Inter mortales duxit, Libitina triumphos
Virtutem SISMVNDE Tuam; nec lege ſub vnâ
Vitaq́; faſq́; cadit; gelido neq; noxia ſomno
Si fragiles artus, & magni corporis vrna
Triſte premit ſpolium, cineri quoq́; facta caduco
Fortia permiſcet, nec turpibus immolat vmbris
Bellorum paciſq́; decus: ſtat inertia contra
Fata ſepulchrales inter ſecura ruinas
Gloria, & egregijs quæſitum nomen in armis.
Viuis adhuc Lechicæ REX ô mitiſſime gentis
Viuis, & extincto tamen interceptus in ore
Regalis perdurat honos, maiorq́ue ſupremos
Poſt cineres tibi fama redit, latèque per orbem

Prorogat æternam virtus tibi poſthuma vitam,
Donec Hyperboreis Helice captiua pruinis
Barbara Sarmaticis ſubmittet plauſtra tiaris,
Atque catenato famulabitur æquore Pontus;
Dum piger Odryſijs decurret cladibus Iſter,
Decolor aut Getico dum ſanguine Theſſala planget
Funera Danubius; Threſſæ dum cornua Lunæ
Proteret, & Gotti caput exitiale Tyranni
Belliger vltrices natus Tibi cædet ad aras,
Vltus auum patremque manu; rurſuſque receptas
Proferet imperium terras ſuper, atque rebelles
Faſcibus & patrijs frenabit legibus Vrbes.
Quem patriæ non falſus amor, præuectaque nubes
Fama pigras, & cana fides, inuictaque bello
Dextera, Theſſalicis inſignem cladibus, ipſe
Orator Lechicis Mundus commendat habenis.
Nec Tibi præcipites Regnorum in limine Parcæ
Immatura ferunt properato ſtamine fata;
Iam ſeniò meritiſque grauem furata profanis
Ipſa procul terris, famulis Mors intulit aſtris;
Terrigenumq; domos, paruique mapalia mundi
Stelliferis præuecta rotis, mortalia plantis
Subdidit, & REGEM ſtellatâ ſede locauit.
Macte nouis PRINCEPS ſolijs, cui triſte parentat
Longa Ducum ſeries, Regumque auguſta vetuſtas

Diues

Diues auis; propriam claro Tibi ſanguine lucem
Vandalicis numerata trahunt cunabula Regnis:
Nec domus vna tamen tantæ primordia genti,
Orbis origo patrum, Mauortia Phœbus vterque
Nobilitas; toto tranſmittit ab axe Dynaſtas
Veſper, & occiduæ cognata cubilia noctis
In conſanguineam properant diademata ſtirpem:
Dant atauos ſocer Auſonijs auguſtus habenis,
Dotaleſque oræ, nec non in fœdera gentis
Iungitur illuſtris Latio moderamine Rhenus;
Hinc Te maternis bellatrix Lechia ſceptris
Inſerit, hinc toto diuiſa Britannia mundo
Gentiles patrio ſociat Tibi ſtemmate faſces,
Inde IAGELLONIIS maioribus, inde Gothorum
Cingeris, agnatis Te Celtica floribus ornant
Lilia, Te Regum ſolijs Hiſpania nectit.
Sed Tu magnanimos meritis æquare parentes
Promptior, heroûm nec fruſtra lætus auito
Sanguine cenſeri, tenerâ mox indole REGEM
Præcipis, & ſolio non degeneraſſe paterno
Approbat in puero virtus teſtata Polonos
Prima Duces, magnique capax mens ardua Regni,
Non animi, non lucis egens; nec ſanguine Mauors
Degener in patrio, vultu nec matris auita
Errauit pietas; facilis virtute profanum

Excuſare Patrem, forti materna tueri
Sacra manu, & Latiâ ductos ab origine ritus
Impiger aut ſceptris, aut pulchrâ morte paciſci.
Talem Vandalicis felix Te Gloria rebus
Educat, & patrios puero ſpondere triumphos
Auſa, dehinc rudibus ſolium promiſit ab annis.
Ipſe peregrinis at enim Te faſcibus hoſpes
Ambit Honor, properatq; thronū, penituſq; remoto
Orbe parat gentes: trans æquora, tranſque refuſos
Oceani tractus, alioque Trione latentem
Veſtigant aquilæ, bellatriceſque curules,
Et non ſperatos Lechico de cardine faſces
Purpureâ cum luce ferunt, Regemque ſalutant.
Quis locus obſiſtit meritis? non vaſta procellis
Æquora Carpatijs, non fluctibus obruta totis
Regna, IAGELLONIVM potuerunt condere ſidus.
Ducitur externus medijs regnator ab vndis,
Inuenitque foris virtus, dilata negauit
Quod fortuna domi. Subitò delata poteſtas
Excipit infeſto ſurgentia Regna tumultu,
Inuitis certata odijs. Heu quanta Polonis
Sors furit in rebus! prô fortibus inuida ſemper
Fatorum ſeries! quantos in mutua diſcors
Bella trahis Fortuna Duces? quò tenditis iras
Ah miſeri? tanto vobis æterna parantur
Fœde-

Fœdera ? Pirithois hanc mentibus improba ſemper
Fata dedêre viam : prô quanto ſanguine Mauors
Olim venturo Regum præluſit amori !
Sed nihil ô ſuperi querimur ; bella iſta ſceluſque
Hac mercede placent. doluit poſt claſſica victor ;
Ingemuit captis bellatrix Regia ſignis
Triſtior, & medijs effulſit laurea ſceptris.
Mars trabeas faſceſque tulit ; primaſq; curules
Ploratis auſpex ſtrauit Bellona trophæis.
Ipſa triumphali circumuallata ſenatu,
Ritè ſuper celſo REGEM Victoria curru,
Pannonijs Cracias aquilis Te vexit ad arces.
Ponè Salus & Pax, ſpolijs & nuper opimis
Aucta Ceres, roſeis tecum ſubit oppida bigis,
Et Lechiæ ſcandit ſolium ; genteſque regendas
Victrici complexa manu, quas alligat vndis
Boſphorus, & gelido quas Viſtula flumine lambit,
Vilia quas Hypaniſque lauat, quas Martia bellis
Inter Biſtonios aluit Cynoſura triumphos,
Auſpicijs gelidam victricibus induit Arcton.
Nec tamen oblitus REGEM (quanquā aſpera captis
Semina vindictæ præbet fortuna Tyrannis)
Partibus infremuit cæſis, altèque iacentes
Præterit, & captis ratus inſultare ruinis
Dedecus, ignoſcit victis, nec ſupplice dextrâ

Ante pedes captiua iubet diademata ſterni.
Hinc & Sarmaticis lætus Tibi cedit habenis
Hoſtis, & infeſto violatum Marte maniplum
Auguſtis reparat thalamis ſocer, altaque tædis
Auſtriacis abolet geminæ certamina gentis:
Pax aquilis optata redit, nec in arma viciſſim
Diſcolor affines accendit pluma volucres;
Inque toros impenſa Duci Regina Polono
Teutonis, armatos in mutua prælia Reges
Conciliat; calamis feralia claſſica feſtus
Mulcet Hymen, pacem geniali carmine diſcors
Æternat populus, manſuraque fœdera ſancit.
Fortunate animi Lechicis cui pronuba rebus
Iuncta ſalus, caſtas fœcundo lumine tædas
Accendit, mæſtiſque diu ſolamina Regnis
Reddidit optatum Patris per ſæcula nomen,
Prole nouâ ſteriles Regum ſolata ruinas.
Felix heu nimium felix, qui ſanguine multo,
Regali toties reduces à funere vittas,
Et noua funeſtis ſemper iactata procellis
Sceptra, peregrinis & ſaucia carbaſa ventis
Excipis optato portu, metuendaque cœlo
Nubila Sarmatico, dirùm & fatalè minantes
Hippotadas, pulchro natorum ſidere felix
Diſcutis, & ſolus ruituro proſpicis orbi.

Subli-

Sublimem ſolio populiſque potentibus auctum
Securumque throni, non aduigilantia ſtipant
Tela, nec infida ferri ſtatione frementes
Inſidiæ; procul innocuâ ſummotus ab aulâ
Horror, & inuiſi Siculis fulgoribus enſes,
Armatoque minax nuſquam terrore ſatelles:
Virtutum Te dia cohors, animique fideles
Excubiæ ſacro melius cinxêre Senatu;
Incorrupta Fides, & fallere neſcia Vita,
Et Fidei germana Themis, velataque frontem
Legiferis Aſtræa comis, & Mens ſibi recti
Conſcia, nec vano turgeſcens Purpura faſtu:
Hinc Fas, hinc niueum turpi ſine ſanguine Iuſtum,
Hinc facilis mores & nudus pectora Candor,
Hinc ſemper roſeâ formoſus in iride Vultus,
Innubique nitens facies tranquilla ſereno,
Hinc populi non fictus Amor, ſuccinctaq; curis
Canities, vigili ſolium cuſtode coronant.
Hîc lateri Pietas vicina, curulibus altis
Aſſedit, latèque domos populata ſepultas,
Explicuit geminas victricia ſigna per Arctos.
Illa catenatos traxit Tibi ſæpè Tyrannos
Ante pedes, victaſque vrbes, genteſque receptas
Subdidit imperio; ſpolijſque induta Gelonûm,
Capta Muſurmannis de cladibus, illa ſuperbis

Signa

Signa tholis victrix Craciâ suspendit in vrbe.
Illa etiam Lechiæ pollutos vlta Triones,
Letiferas Erebi pestes, gentemque nefandam
Eumenidum, & superis ausum contraria Ditem,
Sacrilego vt Latios aboleret dogmate ritus,
Perculit; & capto sceleri commenta perennes
Iniecit pedicas, & nigra in Tartara mersit.
Ausa profanatis hâc principe Romula terris
Relligio proferre caput, claustrisque soluti
Tristibus, Ausonij rursus procedere Ritus;
Tunc caligantes longâ rubigine vultus
Ostentant sacræ Leges, oppressaque multâ
Nocte triumphato redeunt stata Iura Luthero.
Lætior at niueis inuecta iugalibus exul
Regna subit populosque Fides, desuetaque rursus
Sacra refert, purâque Deum veneratur acerrâ:
Illam virtutum niueis exercitus armis
Hinc atque hinc comitata phalanx, lætata reuerso
Numine, Sarmatiæ secura perambulat arua,
Incultisque metit rursum Tibi lilia campis.
Ipsa inter Scythicas victrix Cynosura fauillas,
Partem operis SISMVNDE Tui, Cocytia iactat
Prælia, prostratosque canit Te REGE Furores,
Purior & Latio meliùs reuirescit in auro.
Quid referam structas animis cœlestibus arces?

Templa-

Templaque ſublimi rutilis certantia mole
Sideribus, victaſque tholis gemmantibus Arctos,
Pyramidumuè iugis, pictiſque nitentia ſtellis
Marmora, & immenſis opibus delubra Tonanti
Ducta Deo : nunquam (ſit fas mihi dicere) magni
Ditiùs indigetes Lechicis habitaſtis in aris.
Quæ virtus animo, ſolio cùm fultus eburno
Iura dabas? plorata reis ſubſellia miti
Præceſſit ſors mœſta gradu, legeſque retexit;
Ponè ſupercilio Iudex immota ſeuero
Adſtitit æqua Themis, dextramq; armata coruſco
Enſe, tulit læuâ geminam ſine fraude bilancem,
Nec leges vltra procerum ſæuire ſecures
Paſſa, nec auguſtos infra regalia faſces
Sacramenta premi: raucis verboſa patronis
Bella negat, merſumque nigrâ caligine verum
In lucem proferre prior, mentita doloſas
Ambages vultu non indignante refellit
Nubila; non odijs procerum, non illa fauori
Submiſit trutinam; ſacrum & immutabile ſanctæ
Pondus erat libræ: non illic ſontibus armis
Pauperies oppreſſa iacet, non obruta virtus
Diuitijs, ſolumque Nefas hac iudice ſemper
Palluit; hîc etiam vitium letale ſubiuit

 Diſcri-

Diſcrimen, rigidis hîc ſemper vincta catenis
Luxit Auarities, pedicis hîc nexa malorum
Dira cohors ſcelerum, Cædeſque feriq́ue Tumultus
Et Furor, & tincti iugulis inſontibus Enſes,
Et raptis plorant inceſta cubilia tædis,
Et populi ſtrages, & triſtes ora Rapinæ,
Sanguineâq́ue manu telum fatale coruſcans
Mœret ſupplicium ferro ſubitura Tyrannis.
Nunquā Te Gemitus, nunquam Lamenta nefaſtis
In populum comitata choris, non limina Queſtus
Obſedit, triſti Luctus non voce ſecuti,
Nec Tibi quæſitos curarum pondere ſomnos,
Irriguis vnquam Lachrymæ rupêre cateruis.
Quàm ſolers animo, ſortis quàm cautus ad omnes
Reſtiteris SISMVNDE vices, cùm peruigil Atlas
Turbatoſq́ue polos & vix tractabile pondus
Imperij ceruice ſubis; quibus author habenis
Indociles ſeruire animos, quo flexeris vſu,
Scit Tagus, hybernis & qui de ſolibus alget,
Quiq́ue bibit Nilum, vel ſi quos vltima Thule
Excipit, aut medijs miratur veſper in aſtris.
Ipſa Ducem iam tunc artes belliq́ue togæq́ue
Edocuit, ſubitis maior Prudentia fatis;
Et vigiles animo ſenſus largita ſagaci

Mille

Mille dedit prænoſſe vices, caſuſque tueri.
Illa nec aduerſis impar, nec victa ſecundis,
Proſpexit Lechicis ne ſors inimica triumphis,
Libaret ſanctum per ferrea ſæcula nomen.
Huc quacunq; poli PRINCEPS de parte ſerenas
Flecte acies, oculiſque tuos metire labores
O meritis dilecte tuis! Tibi Sarmata debet,
Quod florent aquilæ, lituis quod reddita ſeruit
Moſcua, quod Scythico non pallet Boſphorus arcu,
Quod ſecura Getæ nullique obnoxia ferro
Roxia, bellaces proſcindit vomere campos.
Exultat Latijs maieſtas aucta tiaris,
Conſilijs ſacrata Tuis; nec fortiùs vnquam
Lechica ſe meminit campo Bellona potitam.
Clarior ipſe tuis Mauors SISMVNDE trophæis,
Hinc Tibi populeo ſupplex gratatur honore;
Inde Salus toties ſeruati prœmia Regni,
Paciferum diadema vouet, lauroque coronat
Tempora, certa ſuum poſt funera dicere Patrem.
Lecta comes lateri, cunctiſque potentior armis,
Sola quaterdenis cuſtos fidiſſima Regnis,
Excubat intrepido pro Te Clementia vultu,
Sola decus SISMVNDE Tuum: non illa nocendi
Prodiga, non pœnis hominum, non læta periclis,

Parca necis, mitis precibus, non pasta nocentum
Supplicijs, nullisque genas temerata procellis,
Respuit æratas acies, & inutile ferri
Præsidium, fascesque tulit terrore remoto.
Illa nec in victos facilis sæuire furores,
Polluit armatam ciuili sanguine laurum,
Seruauitque piam victis; ferroque rebelli
Ignouit; vitamque, mori properantibus, vltrò
Obtulit, & Ciues dixit quos Marte subegit.
Fortior inde malis & nullo saucius æstu,
Non lætis elatus honos, non mersus acerbis,
Impauidum semper fatis opponere pectus
Impiger, & nullâ turbatus nube serenum,
Maior in aduersis micuit; viditque gementes
Sub pedibus Casus, & Fata minantia spreuit.
Non illum populi strages, non rapta mouere
Sceptra, nec infestis afflictæ cladibus vrbes,
Non structæ poterant fraterno Marte cohortes.
Non Te Massagetum lucentia Regna fauillis,
Non Scytha, nec diri tumidâ ceruice Tyranni,
Non Patris immatura, suum nec fata pudicæ
Coniugis ante diem, teneram nec sæpè feroci
Per sobolem grassata rapax Libitina tumultu;
Denique non tragicis toties armata cateruis

Ipsa

Ipsa Tuum potuit Fortuna mouere tenorem.
Et prius infestâ scelerum sub mole Piumque,
Fasque labat, trepidatque Fides, quàm fracta malignis
Succubuit cessitque Tibi mens ardua fatis.
Bella etiam populis, Regum fortissime, bella
Ipse paras, seu læsa fides, seu Thracia poscat
Impietas, patrium seu fors in prælia Martem
Suscitet irati scelus & periuria fratris,
Siue propagando Lechici pro limite Regni,
Prouocet inuictas glacialis ad arma cohortes
Vrsa, Lycaonijs iterum exarmata pruinis.
Bis tibi supplicibus Rhodopen tremuisse Tyrãnis
Vidimus, Osmani cùm formidabile mundo
Nomen (vterque suis Phœbus cui sæpè litauit
Cladibus) ante tubam, soloque pauore, supinis
Victori trepidum submisit collibus Aemum.
Quis tibi tunc Osmane furor, cùm versa referres
Signa retrò ? solaque Ducis formidine , mœsto
Sidere, Threiciam gemeres pallescere Lunam ?
Mitior & posito temeratæ soluere genti
Supplicium fastu, turpi mercede doleres ?
Nec tibi Thessalicis, puer ô Vesane, sepulchris
Aspersum licuit gladijs abolere pudorem !
Sarmaticis iterum neuquidquam Thracia campis

Tempeſtas fremuit, Libyes cùm turbine miſto
Terriſonas in nos vomerent deſerta cohortes.
Nec te Maſſagetæ, nec diris Creta Corallis,
Non arcu iuuêre Scythæ, non falce Geloni,
Audaceſque Dahæ, nec pictis Concanus armis,
Nec vaga Colchorum feritas, metuendaq; verſo
Dira cohors tergo; Geticis nil obſtitit áèr
Turbidus in iaculis, multo quin empta cruore
Fœdera ſancires meliùs, victuſque probrosâ
Pace laceſſito lueres periuria Regi.
    Ægra caput medijs attollens Dacia flammis,
Colla triumphati Te vindice proterit Hunni,
Nuntius ipſe Tui cùm SIGISMVNDE triumphi,
Laurigeram ſacrâ velatus arundine frontem
Danubius, rapido ſeptena per oſtia fluctu,
Diſtulit Odryſias totum per Nerea clades.
    Te quoq; Carpatio trepidantia vela profundo,
Quaſſataſque rates ventis, & remige cæſo
Imbelles victâ referentem claſſe rudenres,
Bis profugum Arctoæ riſêre per æquora Phocæ
CAROLE, periuros cùm faſces vlta cruento
Strauit Liuonicos Bellona cadauere campos.
    Horrida depoſito iam cultior Vrſa furore
Blanda cruentatis affigens oſcula palmis,

Fracta

Fracta Tuo PRINCEPS didicit mitescere ferro.
Aspice Parrhasij trepidantia sidera plaustri,
Lechica qualis adhuc cogat sub sceptra Bootes!
Cerne Borysthenius captiuo gurgite fastus
Vt famulis pallescat aquis! vt supplice vultu
Lenè fluat Pontus! fractis vt cornibus audax
Sarmaticas Tanais volucres submissus adoret!
Ipsa Tibi supplex gemmato Moscua cultu,
Inclinat famulo cinctam diademate mitram,
Semirutasque vrbes, duroq; adamante rigentes
Victori referat portas, ferrataque pandit
Mœnia, & insanas ad nutum subruit arces.
Ipsa catenatos humili ceruice Tyrannos
Ad pœnas iniussa trahit, Regumque minaces
Sternit humi vultus, & sub iuga Lechica flectit.
Nec vobis trepidas fas est impunè per vrbes
Roxiacos inter cineres, repetitaque gentis
Funera, Tartaricis Dolopes equitare cateruis,
Gens nostro funesta solo: vos Thracia testor
Dindyma, barbarici quoties ad pabula belli
Impastas misistis aues, aut quanta Gelonûm
Fastidita lupis iacuit sine funere præda!
Dicite frugiferæ spumantia flumina Roxæ,
Threicio quoties mutastis sanguine fluctus,

Heu Geticos inter quoties hæsistis aceruos?
Et iam seu meritos supera ad Capitolia currus
Victor agis, lætus famulo succedere cœlo;
Seu Te purpureos inter splendentia Reges
Ambrosiâ sacrisque tenent conuiuia mensis,
Siue Deo propior cel$\hat{s}$â de nube recliuis
Sub pedibus Tua fata vides, & regna cadentum
Mista Ducum cineri, tumulisq; carentia Regum
Funera, feralesque pyras, stragesque cruentas,
Et super euerso tumulatos orbe Tyrannos,
Quidquid es, æternus Lechiæ dolor, & noua clades
Semper eris, mœstisque diu plorabere regnis.



